



A8

DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup> JURIDICA INAUGURALIS  
DE <sup>1770, 2</sup>  
**RE MEDIIS JURIS**  
ILLI CONCESSIS  
AD INDEMNITATEM CONSEQUENDAM,  
QUI PER ACCESSIONEM INDUSTRIALEM  
DOMINIUM REI SUÆ AMISIT.

QUAM  
ADJUVANTE DEO TRIUNO  
PRÆSIDE  
**FRIDERICO GOTHOFREDO**  
**I. A. F. SCHLEGELTENDAL**  
J. CTO ET ANTECESSORE  
PRO  
**JURIS UTRIUSQUE LICENTIAE GRADU**  
PUBLICÉ DEFENDENDAM SUSCIPET  
**JACOBUS GUILIELMUS WICHERLINCK**  
VENLONENSIS

AD DIEM M. APRILIS A. M DCC LXX.

DUISBURGI AD RHENUM  
TYPIS FR. AD. BENTHON, ACADEM. TYPOGR.



DISSERTATIO JURIDICA INUGURALIS  
DE  
REMEDIIS IURIS  
IULI CONCESSIS  
AD INDIMENTATIONE CONSOLIDANDAM  
QUI TERRA ACCESSIONE INGENITARIA  
DOMINUM REI SEI AUREL

ADJUVANTE DEO TRONI  
PRESIDE  
FRIDERICO GOTTHORFEO  
LAUS SCHIELENDAL  
EGO ET MULIERE  
EGO  
JANUS AUTUSTINE MOLYNEUX GEDDA  
GORDIGE DILEXENDO A DISCIPULIS  
THEOS GUTHRIUS MICHAELINUS  
MINTONIANUS  
AD DIEM XI APRILIS A MDCCLXXIX  
DISSESSIO VI ANNO  
Tunc AD BENTHON VENIT COPIA  


ILLUSTRISSIMO, GENEROSISSIMO  
ET STRENUISSIMO DOMINO  
DOMINO  
CAROLO AUGUSTO  
EMANUELI

S. R. I.

COMITI DE RECHTEREN

DYNASTÆ IN VELLENÆR  
PRÆPOTENTIUM FOEDERATI BELGII ORDINUM  
SUPREMO BELLÌ LEGATO  
SEU GENERALI LOCUM TENENTI,  
EORUNDEMQUE EQUITUM TRIBUNO,  
PRÆFECTO URBIS VENLONENSIS  
ET ADJACENTIUM MUNIMENTORUM  
CÆTERA

DOMINO ET FAUTORI SUO GRATIOSISSIMO

HOCCE SPECIMEN  
Cum intima animi reverentia  
& submissione

D. D. D.

Jac. Guil. Wicherlinck.

MUSICA  
AT SANCTISSIMA DOMINA  
DOMINO AUGUSTO  
EMANUELI

COMITI DE RHEINFELDEN

DYNASTAE IN AUSTRIA  
IMPERATORI ET ROMANORUM IMPERII DOMINI  
ET CLEMENTIA FIDEI ET PAX  
FORTUNA QVOD PROSPERITAT TUTUDO  
PRAECEPS QVOD PROSPERITAT TUTUDO  
ET AVANTINUS TUTUDO

DOMINA ET MUNERA QD CLEMENS

NEC QD  
C  
S  
T  
I  
QD CLEMENS



DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS  
DE  
REMEDIIS JURIS ILLI CONCESSIS  
AD INDEMNITATEM CONSEQUENDAM,  
QUI PER ACCESIONEM  
INDUSTRIALEM DOMINUM REI SUÆ  
AMISIT.

---



§. I.

Jurisprudentia non alia ratione certa  
reddi potest; quam si operam  
demus, ut certa principia con-  
stituantur. Ea autem non ex  
cerebro & ingenio interpretum  
sed ex ipsis legibus sunt eruendae,  
in quantum scilicet de Jurisprudentia civili agi-  
tur. Mathematica enim certitudo in Legibus pos-  
tivis, quæ a voluntate legislatoris pendent, sæpi-  
ssime haberi nequit; adeoque methodus Philosophica  
in Jurisprudentia non semper applicari potest, quum

A

prin-

principia non ex sola recta ratione peti queant,  
sed rationes illius saepius fide historica nitantur.

Peccasse in eo videntur & veteres & recentiores interpres: quorum illi in legibus allegandis nimii ad nexum illarum & principia juris aut prorsus non aut non sufficienter respexere; ex his vero multi sibi sistema juris positivi ex proprio ingenio finxere, atque textus juris aut prorsus non curarunt, aut illos saltem non ex historia gentis interpretati sunt, verum secundum adoptata sibi principia detorserunt.

§. II. Inter alias materias, in quibus secundum quae principia J. Cti Romani in decidendis controversiis processerint, non satis liquet, non inelegans est illa, quam in praesenti tractandam suscepimus, de indemnitate illi praestanda, qui per accessionem industrialem dominium rei suae amisit.

Plurimi in singulis illarum accessionum speciebus diversas decisiones ex differentibus rationibus proponunt; quo ipso tamen questionem hanc in se difficilem magis adhuc intricatam reddiderunt. Videamus an non ex certo ac stabili fundamento omnes has questiones decidere, eademque opera diversa atque prima specie dissensa juris capita explicare & conciliare possimus.

§. III. Regulas de adquirendo per accessionem industrialem & mixtam dominio hic non expomimus. Omnes ad illam unicam recidunt, quod accessorium suum sequatur principale, modo simul no-

notemus, pro principali aliquando rem & materiam aliquando factum pro diversis rerum circumstantiis haberi, atque in ea quæstione non tantum principia juris sed & singulares legislatorum præcipue Justiniani decisiones esse spectandas.

Verum quum ita alter dominium rei suæ amittat, adparet injustum fore, atque regulis æquitatis civilis contrarium, si id sine omni compensatio ne fieret; præfertim quum sæpius nihil prorsus ad sit, quod ipsi imputari queat. Verum tamen cum in Legibus Romanis ad singulas species separata remedia juris adinventa fuerint, quibus quis aut agendo aut defendendo jus suum consequatur, quæsum fuit, quænam hic ad consequendam indemnitatem concessa fuerint.

§. IV. Obligatio ad præstandam indemnitatem ex variis admodum fontibus derivari potest. Oritur illa vel occasione contractus vel ex alio facto nullo omnino contractu concurrente, & in utroque casu quidem vel ex dolo vel culpa illius qui convenitur, vel sine illis.

Et in contractibus quidem longe certior est obligatio ad impensas restituendas ex ipso contractu, etiam dolo vel culpa non concurrente, præfertim si ille bona fidei sit; quanquam distinctio inter impensas necessarias, utilles & voluptuarias etiam hic non videatur negligenda.

Verum extra contractus, sub quibus hic etiam quasi contractus comprehendimus, vix certum

principium obligationis ejus proferri potest. Romani enim quamvis negotia etiam personæ incertæ geri posse statuerint; omnino tamen ad hanc obligationem desiderarunt, ut quis non in suam utilitatem sed pro alio impensas fecerit. Unica exceptio reperitur in actione funeralia, quæ etiam illi conceditur, qui falso putans se heredem esse in funus alienum impedit; quod ex singulari favore sumtuum funeris receptum fuit. Vid. L. 14. S. 11. D. d. relig.

S. V. In actionibus ergo realibus alias regulas receperere J. Cti nostri, in quas jam inquirendum erit. Prima ex illis sequens esse videtur; quandocunque aliquis ex regulis juris aliquam actionem instituere potest, illa etiam tunc ipsi competit, quando dominium rei suæ per accessionem aliquam ad rem alterius amisit. Locum hoc sibi vindicat, quando alter facto suo doloso rem alterius per accessionem ad rem suam adquisivit. Quum enim ille rem alienam lucri faciendi causa concrestanto furtum illius committeret, etiam actionibus ex furto nascentibus scilicet actione furti & conditione furtiva conveniri poterit. vid. §. 26. Inst. de Rer. Div.

Quum præterea idem rem alienam dolo malo suam faciendo, illam dolo possidere desierit: etiam actione reali nonpe vindicatione utili ejusque preparatoria actione ad exhibendum conveniri potest; quod ex pluribus capitibus Juris Romani probari posset, si eo in re certa opus foret. Datur vero utraque actio ad estimationem per jusjurandum in li-

item conficiendam; vel si accessio a suo principali separari queat; etiam ad separationem & restitucionem. Nulla enim adferri potest ratio, cur haec separati ob odolum rei concurrentem cessare debeat, quem alterius perfidia meum jus diminuere nequeat.

§. VI. Haec vero remedia vix locum invenire poterunt, nisi illi, qui dominium rei alterius factio suo adquisivit, dolus imputari queat. Ubi vero nullus dolus ipsius adest, attamen factio suo dominium rei alterius bona fide per accessionem industrialem aut mixtam adquisivit, actionis ordinariæ omne fundamentum desicere videtur.

§. VII. Actioni enim in rem locus esse non potest, quia dominium legitimo modo in alterum transiit; ubi per leges accessione simul loco tituli & modi acquirendi fungitur. Neque vero sine difficultate actio personalis concedi poterit. Certe nullius conditionis stricto sensu acceptæ fundamentum allegari potest. Namque, quæ deficientibus reliquis dari solet, conditione sine causa hic locum invenire nequit, quia rem ipsam non sine causa possidet, qui eam per accessionem adquisivit; neque illa causa accessione manente unquam adesse definit. Doctissimus Vinnius in Comment. ad §. 26. Inst. de Rer. Divis. rem ipsam quidem non sine causa possidere jungentem concedit; verum simul asserit, nullam adesse causam, cur ille pretium lucrari velit, adeoque illud per conditionem sine

causa peti posse. Verum non ita late patent hujsus condictionis termini, ut ad estimationem rei, cuius ex causa civili dominium amissimus, illam instituere liceat, et si pro agente aequitas etiam legitima militet. Quamvis enim alias ad conditionem propriæ dictam quam maxime dominium amississe agentem desideretur, illud tamen non sufficit. Neque enim species illius conditionis, quæ in Legibus Romanis inveniuntur, ita sunt comparatae, ut hanc extensionem patientur; atque sic præterea actiones in factum utpote mere subsidiarie in his speciebus nullum sed tantum in contractibus in-nominatis & delictis locum sibi vindicare possent, quibus tamen hic locum dari in sequentibus vi debimus.

§. VIII. Facilius condic̄io triticiaria hic instituita videatur, utpote quæ natura sua ad estimationem petendam comparata est. Sed ut ne moneramus, ultimæ objectioni etiam hic locum superfore; præcipue notandum, in hac actione semper supponi, ad ipsam rem actionem personalem competuisse, cui condic̄io triticiaria tanquam adjectitia qualitas possit accedere, quod requisitum hic omnino deficit.

Conferri hic meretur L. 33. D. de condic̄, indeb. quæ eti de ea specie, quam hic tractamus accurate non agat, rationes ramen, quibus ibi Julianus utitur, omnino ad illam applicari possunt.

§. IX. Antequam ulterius pergamus, verbo & in

in transitu notanda est conditionis a qualibet actione personali differentia, ad quam vulgo non ira atten-  
ditur. Notavit illam Lauterbach in Colleg. Theor.  
Pr. §. 35. solideque monet, hanc vocem aliquando generaliter pro omni in personam actione, aliquan-  
do vero strictius pro illa sola, quæ ad aliquid dan-  
dum tendit, accipi. Generalis significatio ex L.  
25. pr. D. de Obligat. maxime probatur. Specia-  
lis, quæ simul magis propria esse videtur, ex variis textibus illustratur. Sic actiones bonæ fidei nun-  
quam conditiones vocari videntur; neque singula-  
re est, actiones personales intuitu rei nostræ com-  
petere, ut ideo conditionem fortivam odio furum  
concedi necesse fuerit; et si verum sit, nunquam conditionem proprie dictam intuitu rei nostræ da-  
ri.

Præterea de omnibus actionibus personalibus affirmari nequit, quod in L. 36. D. de Obligat. assertur, conditiones nunquam famosas esse, et si illud de conditionibus proprie dictis omnino ve-  
rum sit.

Orum & progressum conditionis certi præ-  
clare explicavit Noodt in Comm. ad tit. de reb.  
credit. p. 275. 276. ubi animadvertisendum, quod de re legata condicenda ex L. 9. §. 1. monetur,  
de legis solis damnationis ex jure veteri intelli-  
gendum esse, quamvis ex nova Lege Justiniani illa in omni legato extra ordinem obtainere videa-  
tur.

Ad-

Addimus adhuc ex L. 26. D. rer. amot. verisimile fieri, quod etiam quædam remedia frequentius nomine actionum veniant, quæ tamen proprie ad conditiones sunt referenda.

§. X. His breviter præmonitis adparet, id quod antea dictum fuit, conditionem in nostra specie dari posse, de conditione proprie dicta intelligen-  
dum esse.

Opponitur §. 26. Inst. de Rer. Div. quod caput nobis quidem ex illis, quæ in hac materia occurunt, difficillimum videtur. Quatenus vero non nulli ex eo textu probare contendunt, etiam illi, qui in possessione fuit, sed eam omisit, conditionem non denegari, de eo deinceps agemus.

Hic notandum est, hunc §. ex illorum numero esse, qui in Pandectis, ut quidem alii plerique, sub hoc titulo non sunt repetiti; & de quibus adeoque, non constat ex quo J. Cto desumpti sint, quod aliquoquin in explicatione aliquando lucem adserit. Verosimile tamen est, illum ex antiquo J. Cto nihilominus esse excerptum, sed non tanti momenti visam esse hanc speciem, ut in Digestis repeteretur, quum aliquoquin nihil novi in se continere videatur, neque ulla hic ut in §. 34. eod. tit. constitutionis vel decisionis Justinianæ mentio occurrat.

§. XI. Quod vero ad nostram questionem attinet, putarem vocem conditionis etiam hic lato sensu & abusive pro actione in factum accipi, sicuti eandem significationem etiam in L. 23. D. reb. creditur.

occur-

XXX (9) XXX

rere, generalis ibi allegata ratio quasi ex re sua lo-  
cupterior factus sim, arg. L. 52. D. de rei vind.  
cujus species ab hac paulum diversa est, satis docet.

Certe in nulla alia specie earum, quæ ad hocce  
genus pertinent, conditionis contra bonæ fidei  
possessorem concedendæ aliqua sit mentio, sed tan-  
tum actionis ad exhibendum vel in factum; unde  
ratio nulla adest, cur hic alia actio sit concedenda.  
Neque enim generaliter obtainere videtur, quod in  
L. 12. pr. D. de condic. furt. Ulpianus ait, eum,  
qui non facto suo dominium amisit, rem condicere  
posse. Nam hæc aperte de sola conditione  
furtiva agit, monetque eum hanc instituere posse,  
qui tempore furti commissus dominus fuit, verum  
illud dominium postea sine facto suo amisit, quod  
utique naturalis ratio omnino postulabat.

Reliqui textus, qui pro generali conditionis  
alicujus usu hic allegari solent, vix considerari me-  
rentur; quia in illis longe diversam proponi spe-  
ciem, primo statim intuitu adparet.

§. XII. Si ergo nulli conditioni locus datur,  
nihilominus tamē actionem concedi aqüitatis legi-  
timæ regulæ omnino postulabant; quia nemo ex  
re aliena cum domino alterius sine illius culpa &  
multo minus nullo ejus facto interveniente debet  
fieri locupletior, & non tamē nisi per actionem  
illi subveniri potest.

Circamodum vero indemnitatibus præstandæ distin-  
ctum in Legibus Romanis invenimus, utrum accessio

et suo principali separari queat nec ne. Priore casu actio ad exhibendum concessa fuit ad separationem, quando accessio separata, causa acquisitionis jam cessante, ad dominum priorem redit, & ab illo vindicari potest; vid. L. 23. §. 5. D. de rei vind. L. 6. D. ad exhib. vel simul per actionem ad exhibendum restitutio injungitur arg. L. ult. C. ad exhib. quippe quod semper fit, si de dominio actoris statim constare possit.

§. XIII. Si vero res juncta separari nequeant, omnis actio ordinaria quidem adhuc deficit: universalis tamen regula, quod nemo ex re aliena cum damno alterius sine ejus culpa debeat fieri locupletior, effectit, ut hic actio in factum ad impensarum primum restituendum concessa fuerit. vid. all. L. 23. §. 5. item L. 3. §. 14. D. ad exhib. atque infra videbimus illam in legibus nostris aliquando etiam nomine actionis utilis venire.

Cetera nihil omnino resert, utrum juncta per rerum naturam separari nequeant, an vero per legum singularium constitutiones aut ex Juris principiis pro talibus habeantur; quale quid in adferruminatione, arbore plantata quae jam coaluit, item in rigno juncto factum fuisse observamus. Vid. L. 23. §. 5. D. de rei vind. L. 26. §. 2. L. 7. §. 10. D. de adquir. rer. domin. Ex quibus etiam adaptaret, in adferruminatione, & arbore quae jam coaluit, et si ea deinde casu aut facto praesentis domini separata sint, nihilominus tamen eam ad dominum

minum priorem nunquam reverti: id quod in tigno juncto non semper eodem modo sese habet.

§. XIV. Hæc vero remedia locum invenire vix possunt, si ejus factum & multo minus si culpa aut dolus intercesserit illius, qui dominium rei suæ amisit. Hoc enim casu solam exceptionem vel retentionem priori domino concessam invenimus; ita quidem ut ea in rei vindicatione ex capite doli mali opponatur, in hereditatis petitione vero, quæ bonæ fidei est, in officio judicis fundetur; vid. L. 7. §. 12. D. de adquir. rer. domin. juncta L. 38. D. hered. petir. quia in judiciis bonæ fidei exceptiones insunt, ad easque judex ex officio attendere tenetur, et si ante litis contestationem allegataz non fuerint, sicuti illud ab aliis latius observatum fuit. Longe facilius enim exceptionem & retentionem quam actionem concedi clarissime ex L. 14. §. 1. D. commun. divid. elucescit. Et si enim in aliis causis maxime in materia depositi, & impensarum utilium in res dotales factarum facilius actio quam retentio concedatur; illud tamen tunc tantum obtinet, ubi certæ alicujus actionis fundamentum adest, possessio vero aperte injusta est. Alias vero semper facilius in possessione constituto est se defendere, quam illa non gaudenti actionem instituere; adeo ut defensionem omnem ne illi quidem, qui in culpa fuisset, immo ne in dolo quidem, denegarent. Sed de dolo deinceps adhuc plura.

§. XV. Cætera in tantum huic regulæ institerunt Romani; ut omnino voluerint illum, qui in possessione rei alienæ, in quam impendit, fuit constitutus, se possessione sua defendere, neque antea illam vero domino restituere, quam ipsi de juriis suis fuerit satisfactum. Si ergo antea illam restituerit; sibi imputare debet, quod cum Leges ipsi exceptionem & retentionem concederent, ea que usus non fuerit, jam omni remedio destituantur. Etsi enim alias nihil omnino admiserit, sed quam maxime in bona fide fuerit constitutus, hoc solum quod rem simpliciter restituit, ipsi obest. Quin si possessionem non restituerit, sed eam alio modo amiserit, etiam hoc ad ejus negligentiam refertur, & ad actionem excludendam sufficit. Neque enim vel ali. L. 14. §. 1. vel alia Juris Romani capita hic distinguunt, sed adeo rigide hic regulæ semel propositæ institerunt. Ideoque initio §. 14. diximus actionem semper denegari, quando ejus factum, qui dominium rei sue amisit, intercesserit, etsi alias illius culpa non intervenit; quod de speciali culpa in actu adjunctionis intelligendum, quia alias hoc §. vidimus possessionem amissam in hac materia semper ad culpam referri.

§. XVI. Multi omnino ab hac sententia ob adparentem ejus iniquitatem recesserunt, quos præivit magnus Cujacius Observ. Lib. 10. Cap. 4. quem multi admodum secuti, adeo ut etiam hæc sententia in foro saltet ex parte præfertim

sertim ob majorem ejus æquitatem naturalem prævaluerit. Verum contrariam fententiam fortissimis argumentis stabilivit Vinnius in select. quæst. lib. I. cap. 24. unde ea quæ hic protulic non repetemus. Addimus ergo, omnino generalem hanc regulam esse videri non solum in inædificatis, de quibus solis plerunque disputatur, sed etiam in omnibus aliis speciebus accessionis industrialis immo & mixta; quia eadem in omnibus obtinet ratio, neque in legibus nostris intuitu illarum singulare aliquid est constitutum.

§. XVII. Neque vero putarem inter Romanorum J. Ctos in hac materia scilicet extra contractus adfuisse dissensionem: utpote cuius neque inter Proculianos & Sabinianos, neque inter singulos Juris peritos ullum hic invenimus vestigium; sed omnes uno ore solam exceptionem non actionem indulgent, et si alias circa modum deducendi aut tollendi impensas, nec non circa ius malæ fidei possessoris non in omnibus consensisse videantur. Et non omnino infrequens est, hodie super illis quæstionibus Juris Romani moveri controvèrsiam, quæ olim nulli prorsus dubitationi subiecta fuere.

§. XVIII. Opponunt primo Regulam, quod nemo cum alterius domino debet fieri locupletior. Hæc vero apud Romanos non sine restrictione recepta fuit. Limitatur enim, si culpa & multo magis si dolus concurrat ejus, qui damnum patitur.

tur; atque tunc concurrit altera regula: damnum quod quis culpa sua sentit, sentire non viderur.

Jus Romanum scilicet litiū diminutionem, in quantum ullo modo fieri potest, tanquam secpum principalem sibi proposuit; in tantum ut quando scopus ille concurrit, ut plurimum nimio rigore leges illorum laborare videantur. Etsi enim non iniquum sit, aliquem ob culpam suam damno adfici; nimis durum tamen esse putamus, ob exiguum saepe culpam integro jure suo privari.

Hanc limitationem plurimi interpres non observarunt, quum regulam hanc generaliter in legibus positam invenirent; quod J. Cti Romani saepe fecerunt, ubi restrictio a nobis memorata locum sibi vindicare non poterat. Partem enim regulæ tunc allegare contenti fuere, quia altera pars hic nulli usui futura erat; ex quo forte aliqua, quæ de J. Ctorum rationibus inadæquatis ab aliis proposita fuere, explicari poterunt.

§. XIX. Præsupponendum vero hic est, principia ordinaria actionis tum realis tum personalis deficere; id quod revera ita se habere ex antecedentibus satis patet. Jus in re enim illi, qui dominium rei suæ sine facto alterius doloso amisit, neque verum neque fictum amplius competit. Jus ad rem vero etiam adesse nequit, quia nullum rei factum obligatorium, ex quo actio personalis oriatur, allegari potest: ex sola autem æquitate vel legi sine ullo facto obligatorio obligationes non

non nascuntur, quod tamen probare hujus loci non est. Neque possessio allegari potest, quia eam facto alterius ex justa causa accepit; eo magis quam non adsit hic negotium bonæ fidei, in quo alias æquitatis aliquanto plenior ratio habetur. Hinc actio ad exhibendum etiam ex possessione alterius concedi non poterit; quod ex hac ratione potius quam cum Vinnio ex L. L. 12. tabularum derivarem, quia in nostro casu prohibitione illa opus non est; unde idem non in sola inædificatione sed etiam in omnibus aliis speciebus accessionis industrialis & mixtae obtainere debet. Atque certe si Lex 12. tabularum etiam hic in utilitatem publicam, ne urbs ruinis deformatetur, hanc actionem denegasset, maxime æquitas postulasset, hoc sine illius injuria fieri, adeoque aliquam de tigno juncto actionem etiam hic concedi. Verum hic tali lege opus non erat, unde etiam hujus speciei leges, ubi de hac L. 12. tabul. agunt, nullam faciunt mentionem, vid. §. 29. 30. Inst. de rer. divis. L. 23. §. 6. 7. D. de rei vind. L. 7. §. 10. 12. D. de adquir. rer. domin.

§. XX. Opponitur huic sententiae etiam §. 26. Inst. de rer. divis. de quo textu jam §. X. non nulla monuimus. Hic vero notandum, quod verosimile omnino videatur, in fine ejus §. pro quibusque legendum esse quibusdam; quem omnibus fatentibus plerique Codices manuscripti pro illa legione militent: nec enim in contarium nos mo-

vet,

Ver, quod Theophilus in paraphrasi priorem lectio-  
nem prober; quia constat illam in multis corru-  
ptam esse, atque etiam, quod ibi dicitur, furti con-  
ditionem adversus terrium possessorem dari, id  
non solum aperte falsum sed etiam ipsis juris prin-  
cipiis est contrarium, etsi id prima specie quoque  
§. 26. quem male vertit & explicavit Theophilus  
vel potius ejus Epitomator, dicere videatur.

Si vero vel maxime vulgatam lectionem de-  
fendere velis, omnino tamen integer §. de ea spe-  
cie est intelligendus, quæ initio ejusdem fuerat  
proposita; si scilicet non dominus purpuræ sed ve-  
stimenti purpuram alienam suo vestimento intexue-  
rit.

Verba enim, *sive ipse sit, qui vestimentum*  
*fecit, sive ALIUS:* non de domino purpuræ sed ter-  
rio aliquo sunt intelligenda. Nam alias procul du-  
bio loco vocis *alius* domini purpuræ meminisset Ju-  
stinianus, præsertim quum illud in hac specie maxi-  
me singulare & ab aliis similibus diversum, adeo-  
que præ cæteris notatu dignum fuisset futurum; ut  
adeo sensus lorum verborum sit, actiones has ad-  
versus surripientem dari, sive is adhuc possideat pur-  
puram, eamque suo vestimento junxerit, sive pur-  
puram in aliud transstulerit, & is eam suo vesti-  
mento intexuerit; adeoque hic non adversus possesso-  
rem sed *subripientem* actio conceditur, quomodo  
etiam Theophilus sensum illorum verborum ex-  
pressit. In verbis finalibus autem actio etiam ad-  
versus

versus alium possessorem domino purpuræ tribui-  
tur, subintellige in specie initio proposita, si scilicet  
non dominus purpuræ sed vestimenti illam intexue-  
rit. Unde colligimus, alteram speciem, si dominus  
purpuræ illam vestimento alieno junxerit, hic pror-  
sus silentio præteriri, unde neque in verbis finali-  
bus ejusdem illi conditio concedi potuit.

§. XXI. Adsentiri ergo Vinnio non possumus,  
qui in Comment. ad §. 26. num. 4. in fine domi-  
no purpuræ, qui ipse eam vestimento alieno in-  
texuit, non solam exceptionem verum etiam actionem  
ad exhibendum concedit. Neque enim id in  
allegata ab ipso L. 23. §. 4. & seq. D. de Rei  
Vind. assertur: nam §. 4. de domino accessionis  
jungente & possidente loquitur, eique solam ex-  
ceptionem concedit. In contrarium §. 5. de ea spe-  
cie est accipiens, ubi aliis junxit, quia hic nulla  
exceptionis sicuti nec in §. 4. actionis sit mentio;  
& vero simile est, sicuti in §. 6. & 7. diversæ  
species domini tigni & domini soli ædificantis pro-  
ponuntur, ita eandem distinctionem in §. 4. & 5.  
inverso modo servatam fuisse.

Certe nulla nobis videtur adesse ratio, cur  
ille Author hic a principiis, quæ in select. quæst.  
Libr. I. cap. 24. in ædificatione proposuerat, re-  
cesserit, quum illic proposita non in ædificatione  
singularia ex L. 12. tab. sint, sed in omnibus accessio-  
nis industrialis quin etiam mixtae speciebus ex  
generali juris regula obtinere debeant.

§. XXII.

§. XXII. Neque aliud in L. 40. pr. & §. 1.  
 D. de Condict. indeb. dicitur. Namque cum in  
 pr. dicatur, illi dari conditionem, qui exceptions  
 quam habuit, usus non est, hoc de exceptione ad  
 totam rem in perpetuum retinendam tendente est  
 intelligendum, ex quali jure etiam actionem oriri  
 non erat incongruum. Hic vero possessor in rem  
 ipsam nullum jus habuit, sed tantum exceptio ei  
 ad impensas data fuit. §. 1. all. L. 40. aliosque  
 textus a Cujacio oppositos recte sane Vinnius ex-  
 plicavit; cui etiam in responsione ad L. 6. §. 3.  
 D. de Negot. gest. omnino accedimus. Etsi enim  
 Illustris Noodt in Probab. Lib. 3. Cap. 9. & in  
 Comm. ad eum §. Julianum aut si mavis Ulpia-  
 num ibi pro actionem scripsisse aut scribere saltem  
 debuisse exceptionem vel retentionem arbitretur: vix  
 tamen est, ut in illa specie actionem denegandam  
 censeamus. Proponitur enim ibi expresse, alterum  
 mea negotia gestisse, sed dolum in administrando  
 commisisse; is vero ipsum quidem obligare poterat ad  
 damnum resarcendum, atque efficere ut alter non  
 ultra teneatur; quam in quantum locupletior factus  
 est, non vero ut actio negotiorum gestorum con-  
 traria prorsus denegetur. Nam in speciebus antea  
 propositis supponitur, alterum rem meam tan-  
 quam suam sive bona sive mala fide possidisse,  
 atque ita tanquam suam administrasse. Hoc casu  
 ipsi actio negotiorum gestorum contraria concedi om-  
 nino non poterat, aliter ac in nostra specie, ubi eam  
 non tanquam suam tenuerat.

§. XXIII.

3000 (19) 3000

§. XXIII. Et vero, quod §. VII. diximus, actionem in rem ad indemnitudinem consequendam non concedi, L. 5. §. 3. D. de rei vind. item §. 34. Inst. de rer. divisi. & unde ille §. desumus est L. 9. §. 2. D. de adquir. rer. domin. obstat videtur. Prior quidem de plantatione tanquam specie accessionis mixta agit; verum quium eadem in hac ac in industriali regulae obtinere debeant, etiam eam hic resolvere omnino necesse erit. Et L. 5. §. 3. omnino de illo casu est accipienda, ubi non dominus plantæ sed soli eam plantavit; nam priori casu secundum statim dicta nulla actione concedi poterit. Unde etiam in §. 33. Inst. & L. 9. §. 1. D. nulla actionis sed tantum exceptionis sic mentionio, in hoc autem casu semper actio domino tabula, quia is nunquam possedit, concedi debebat. Neque obstat, quod hic domino picturæ licet possessione exciderit, directa rei vindicatio nunquam per L. 9. §. 2. denegetur. Nam illa domino etsi possessionem omiserit, immo etsi dolis ei imputari queat, semper & sine ulla exceptione competit.

§. XXIV. Illud ergo tantum inquirendum, quomodo actio in rem utilis illi, qui dominium rei suæ amissit, concedi queat; & initio quidem per actionem utili sàpius alias ita etiam hic actio in factum intelligenda videri poterat, neque omnino nos absterret Theophilus, qui actionem in rem expressis verbis concedit. quia is sàpius aut deceptus aut lectio ejus depravata videtur; nisi tum

tum L. 5. §. 3. expresse actionis in rem memi-  
nisset; illam enim per actionem in factum cum  
quibusdam interpretari nimis insolens nobis videtur,  
et si alias saepius rem pro facto poni lubentes con-  
cedamus; tum præterea ex §. 34. & L. 9. §. 2.  
adparet, hanc actionem urilem ad rei ipsius resti-  
tutionem detractis impensis tendere.

Nihil ergo aliud superest, quam ut dicamus,  
in pictura & implantatis singulare aliquid placuisse,  
quia tabula in qua pictum est, nec non arbor co-  
alescens integrum suam substantiam saltem naturali-  
ter et si non civiliter retinuit, quod Vinnius hic  
jam adnotavit. Præterea quia in pictura per mo-  
dum privilegii placuit pingentem dominum fieri,  
& cuique licet juri ac privilegio suo renunciare;  
hinc videtur in arbitrio pingentis esse possum,  
utrum ipsam tabulam an pretium ejus velit re-  
stituere, atque inde domino tabulæ non actio  
personalis ad petendum pretium sed utilis in rem  
ad ipsam tabulam fuit concessa; quo casu illud ite-  
rum singulare est, quod impensa picturæ, et si  
voluptuariis ille alias accensi debant, nihilo-  
minus, si pingens in bona fide fuerit, sint re-  
stituenda.

§ XXV. Restat intuitu finis horum remedio-  
rum tum exceptionis tum actionum, quadam no-  
tare; hic vero inter bona & mala fidei possessio-  
rem, inter impensis necessarias utiles & voluptua-  
rias, nec non inter hereditatis petisionem & rei

singularis vindicationem esse distinguendum vulgo  
moneri & ab interpretibus practicis latius explicari  
solet, unde nobis hic licebit eo esse brevioribus.  
Primo ergo hic inter veteres Romanos J. Ctos non  
omnino convenisse videtur, dum Proculajani hic  
rigidiores, Sabiniani vero leniores, illisque magis  
strictum jus, hi æquitatem sequi soliti fuere; cu-  
jus dissensionis quædam in Pandectis remansisse  
videntur vestigia, non quidem ut illa veras con-  
stituant antinomias, sed ut medium sententiam fe-  
qui nos debere Justinianus doceat, partem utrius-  
que sententiae in fragmentis J. Ctorum utrique  
fectæ addictorum reculit, unde hæc tantum con-  
traria videntur, non revera sunt.

S. XXVI. Præterea observandum; quousque  
res, cuius dominium per aliquam accessionem in-  
dustrialem aut mixtam in aliud translatum est,  
non perii, sed separari potest semper esse in arbitrio  
pristini domini separationem per modum actionis  
vel exceptionis petere, et si facto suo dominium  
rei amiserit, illo tantum casu excepto, si mala  
fide junxerit, si enim factum alterius intercesserit,  
iniquum prorsus foret illum ad rem suam ven-  
dendim cogi; atque hinc extra ordinem in signo  
juncto aliud constitutum fuit. si vero eriam ali-  
quis facto suo dominium rei suæ bona fide ami-  
serit: quia omnium rei alienandæ non habuit,  
nulla est ratio, incurie deinceps separata domi-  
nium non ad ipsum redire debeat; quamvis simul,

quia in rem alienam bona fide impedit, in ejus arbitrio aliquando sit possum ad exemplum actionis negotiorum gestorum impensarum pretium petere, & forte in inædificatione ad exceptionem ob identitatem rationis arbitrio judicis tractum sit, quod intuitu actionis in L. 12. tab. fuit constitutum, vid. L. 38. D. de rei vind. Si autem malo fide id factum, dominium, nisi domino rei principalis volente, ad eum post separationem non revertitur, quia per veram traditionem illud in alterum transtulit; unde penes dominum supervenientem potius regulariter erit arbitrium, utrum illud retinere an alteri restituere velit, quia hujus consensus hucusque non intercessit. Et si enim alter non eo animo fuerit, ut dominium transferat, hoc tamen tanquam propriam turpitudinem in judicio allegans non audiatur.

§. XXVII. Cetera communem sententiam sequimur, quod scilicet in rei vindicatione impensis necessariæ semper deducantur, modo intuitu malefici possessoris adhuc extant, utiles plerumque etiam a bonæ fidei possesso, nisi domino nimis graves sint, quod eleganter in ali. L. 38. ostenditur; voluptuaria vero ab omni, sicuti & utiles a malefici possesso tantum tollantur, nisi hic plane animum donandi habuisse presumatur, quod in eo qui possessionem dereliquit præsertim hodie, item qui contradicente domino impedit, & plerumque in fure & prædone credunt Leges nostræ.

In

In hereditatis petitione vero impensa omnes a bona fidei possessore deaucuntur; necessariae & utiles etiam a malae fidei possessore, si existent; voluptuarie vero tantum tolluntur; nisi quod intuitu malae fidei possessoris ad animum donandi praesumtum adtendendum videatur.

Cujacius Observ. Lib. 10. cap. 1. & Lib. 13. cap. 26. malae fidei possessori nimium indulget quando illi etiam utiles deducere indistincte concedit, quem neque capita ab ipso adducta id probent & allegatum ex Dionysio Halicarnasseo plebiscitum de eo solo agat qui in publico aedificavit, ubi ne in publico ruine exsisterent expensas non tollere sed deducere suie permisum; ad quod vero dominus intuitu loci sui adstringi non poterat.

§. XXVIII. Maxime obstat L. 5. C. de aedific. privat. & L. 1. C. de infant. expos. in quibus impensas necessarias non esse restituendas dici viderunt. Cum uterque textus Rescriptum sit adeoque casum singularem continet, facilius in eo fingendo indulgere poterimus: atque sic non adeo difficile erit L. 5. C. de impensis utilibus non necessariis interpretari, ad quas utique pertinere videtur, balneum prorsus collapsum non reficere, sed de novo resfabricare. L. 1. C. de infant. expositis vix aliter subveniri posse videntur, quam si verba si non a fure vindicaveris ex illa ejificantur, eo magis quoniam vix sartum infantis expositi intuitu domini matris ejus commissum concipi potest. Haud diffi-

differemur temerariam hanc emendationem videri  
peſſe; verum necessitas, ut speramus, hoc excuſabit.

§. XXIX. Tandem quod in hereditatis peti-  
tione hic singulariter placuit; illud ex eo senatus  
consulto etiam esse videtur, quod etiam qualitas  
actionis mixta personalis & bona fidei huic actioni  
tributa est; has enim qualitates ex administratio-  
ne sola derivare vel ideo dubitarem, quia sic etiam  
rei vindicationem his qualitatibus praeditam esse  
oportet.

Quod vero etiam malæ fidei possessori immo-  
prædoni hic deduictio impensarum utilium concedi-  
tur; illud quidem minus bonæ fidei convenire vi-  
detur, quam quod in rei vindicatione eas tollere  
permittitur. Nobis tamen hic a dispositione L. 38.  
& 39. D. de hered. petit. quæ satis aperta est,  
recedere non licet.

**T A N T U M**



## ADNEXA.

1. Ratihabitio patris nuptias non reddit retro validas.
2. Bonæ fidei possessor fructus etiam naturales adquirit.
3. Idem ad fructus consumtos restituendos non tenetur, licet illis locupletior sit factus.
4. Donatio omnium bonorum præsentium et futurorum valet.
5. Heres legitimus in conscientia obligatus vindicatur ad parendum defuncti voluntati in testamento imperfetto declarata.
6. Pater filio exheredato potest pupillariter substituere.
7. Fratrum filii soli superstites succedunt in capita.
8. Culpa lata non punitur infamia.
9. Sequestrum rei immobilis Jus civile ignorat.
10. Ad actionem Publicianam Jure canonico *non desideratur bona fides continua,*



T

D

Nobi-

XIX ( 26 ) XIX

Nobilissimo & Ornatissimo

C A N D I D A T O

P R A E S E S.

Ita semper mores Tuos per triennium fere, quo  
apud nos commoratus es, instituisti; ut Doctori-  
bus Tuis merito fueris carissimus. Non solum  
enim probitate Te omnibus commendasti, verum  
etiam diligentia plane singulari studio Juris incu-  
buisti, cæterisque exemplo fuisti.

Gratulor ergo ex animi sententia conferen-  
dum licentia gradum, optoque ut omnia Tibi  
porro cedant prospere, ac largos sedulitatis Tuæ  
fructus capias.

Vale & me amare perge, dabam Duisburgi  
XII. Kalend. April. A. A. C. M DCC LXX.



AM

G

Te

Te non ignoravi duxisse per otia vitam,  
Sed semper studiis invigilasse Tuis,  
Suavis Amice, probas, dum Duce & Praeside tanto  
Ingenii pandis maxima dona Tui.  
Ergo Tibi ex animo de tantis gratulor aulis;  
Nam meritis cerno præmia parta Tuis.  
Jam decerpit enim Tibi turba novena sororum,  
Quæ capiti imponat laurea ferta Tuo.

Honoribus Licentiæ ornatissimi  
Dn. Candidari & Amici præ-  
stantissimi, hæc, Batava fide  
gratulabundus apposuit

Arnold. Joseph. Joann. Alberti,  
LL. Cultor.  
Mosa - Trajectinus.

O eilt! und ringt und strebt!  
Dass ihr, wenn ihr erblasset,  
Dem Tod nichts überlasset,  
Als das, was man begräbt;  
O gebet euch doch Mühe,  
Dass euer Nachruhm blühe

E. 2

Durch

Durch manche kluge Schrift;  
So viel gelehrte Zeilen;  
So viel sind Ehrensäulen  
Euch von Euch selbst gestift.  
  
So sterbt ihr niemahls ganz,  
So grünt durch weise Blätter.  
Trotz Feuer, Sturm und Wetter,  
Doch euer Ehrenkranz:  
So werden euch die Zeiten  
Bis auf die Nachwelt leiten,  
Und euren Ruhm erhöhn:  
Denn wer durch Weisheitsproben  
Sich in die Höh erhoben,  
Kann nimmer untergehn.

P. 63  
Dieses wünschet ein aufrichtiger  
Freund.



Duisburg, Diss., 1728/81(1)

ULB Halle  
004 527 070

3





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Cyan

Green

Blue

Farbkarte #13



DISSESSATIO JURIDICA INAUGURALIS  
DE  
**REMEDIIS JURIS**  
**ILLI CONCESSIS**  
AD INDEMNITATEM CONSEQUENDAM,  
QUI PER ACCESSIONEM INDUSTRIALEM  
DOMINIUM REI SUÆ AMISIT.

182.  
QUAM  
ADJUVANTE DEO TRIUNO  
PRÆSIDE  
**FRIDERICO GOTHOFREDO**  
**I. A. F. SCHLEGENDAL**  
J. CTO ET ANTECESSORE  
PRO  
**JURIS UTRIUSQUE LICENTIAE GRADU**  
PUBLICÉ DEFENDENDAM SUSCIPET  
**JACOBUS GUILIELMUS WICHERLINCK**  
VENLONENSIS

AD DIEM M. APRILIS A. M DCC LXX.

DUISBURGI AD RHENUM  
TYPIS FR. AD. BENTHON, ACADEM. TYPOGR.

